

DISPUTAT

DE

הַצִּוְוֹת

b. e.

CULT  
SAXE

In circumcissione a  
denuo instituta u

*Josua V, comm*

QVAM

SUB PRÆS

D. IOH. GEORG.

PROF. PUBL.

Præceptoris sui maxim

IN AUDITORIO T

*d. XVII. Jun. Anno M*

HORIS CONSV

VENTILATIONI S

A. & R.

JOH. PHILIPPUS Se

Philolog. & S. Theol. S

LIPSIÆ

Literis BRANDENBUR

ITATIO

DE

הרבנות צ

h. e.

TRIS

CEIS,

one a JOSUA

ituta usurpatis,

, comm. 2.

VAM

RÆSIDIO

RG. ABICHTII,

UBL. ORD.

maximopere colendi,

IO THEOLOGICO

Anno M DCCXII.

CONSVETIS

IONI SUBJICIT

& R.

S Geseemann / Numburg.

S. Theol. Studios.

---

P S I Æ,

ENBURGERIANIS.

**VIRIS**  
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCEL-  
LENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
PRUDENTISSIMISQVE  
REIPUBLICÆ PATRIÆ NAUM-  
BURGENSIS,

**PATRIBUS CONSCRI-  
PTIS,**

**DOMINIS**  
**CONSULIBUS,**  
**SYNDICO,**  
**TOTIQVE ORDINI**

**SENATORIO,**  
**DOMINIS PATRONIS, MEO-**  
**RUMQVE STUDIORUM MÆCENATIBUS,**

*IN PERPETUUM*

**ANIMI OBSERVANTISSIMI, ET PROPTER**  
**MULTA BENEFICIA DEVINCTISSIMI PIGNUS,**

**Has Primitias Academicas**

*IN ULTERIOREM STUDIORUM COMMENDATIONEM*

*OFFERRE ET CONSECRARE VOLUIT*

**TANTORUM NOMINUM**

*DEVOTISSIMUS CULTOR*


**JOH. PHILIPPUS Gesemann.**

1295

25

12

182



שׁוֹר

§. I.

**P**osteaquam DEUS MAXIMUS magnum in-  
ceperat facere Jehosua in oculis universi  
Israelis Jordanem transeuntis, patrato novo  
miraculo, quo infirmos & fluctuantes Israeli-  
tarum animos erexerat, ut promissionibus Pa-  
tribus, seminique ipsorum jurejurando tradi-  
tis, de firmo auxilio in occupandis Palæstinarum urbibus, fir-  
miorem fidem adhiberent; atque illi nunc in eo erant, ut pri-  
mis quasi pedibus hanc terram promissam conculcarent, no-  
vum quoddam maximi momenti munus SUMMUM NU-  
MEN injungit Jehosua, quo feliciter peracto, atque eo modo,  
quo præceperat, diligentius servato, majori certitudine & spe  
freti esse possent, haud unquam ullius quicquam SANCTUM  
NUMEN fore retracturum aut denegaturum, quod multis  
variisque vicibus foedere Sacro Genes. XVII. præcipue com-  
VIII. Abrahamo & semini ejus promississet. Sæ itaque pro-  
missionis memor, circumcisionis signum hætenus per longum  
temporis tractum in deserto ommissum, iterata vice instituit,  
atque Josua, quem ipse Ducem & interpretem publican-  
dorum & explicandorum mandatorum elegerat, his verbis  
edloquitur:

## JOS. CAP. V. com. II.

אמר יהוה אל יהושע עשה לך חרבות צורים ושוב  
 מר את בני ישראל שנית : *Dixit DEUS ad Josuam, fac tibi cultros saxeos, & circumcide filios Israel denuo.* Quandoquidem varii varias circa hunc locum, & in hoc maxime circa voculas חרבות צורים *gladios petrarum & iterum circumcide denuo,* proferunt sententias, ut lectores nesciant, quid tandem post longas ambages de genuino Sacri textus sensu statuendum sit; operæ pretium esse duximus, accuratiori paulo indagine in has voces intendere, atque quid proprie sibi velint, & ex qua materia confecti dicantur hi cultri lapidei, quidque circumcisio secunda sit, juxta originem, eorumque communem olim ulum lustrare atque scrutari.

## §. II.

Hujus igitur maximi inter Philologos & Criticos divortii causa, nisi fallor, fuerunt *Jonathan Chaldæus, & LXX. Senum versio.* Ille voces nostras per *אזמלון חריפין Novacula acuta,* hi vero per *μαχαίρας πέτραιας, ἐκ πέτρας ἀκροτάτης* i. e. *cultros acutos ex petra acuta,* interpretantur. Alterutrum horum antiquorum interpretum plerique Commentatores secuti sunt, & modo cultros acutos, modo saxeos verterunt, inque commentariis diversimode explicuerunt. *Raschius* vestigia Chaldæi legens, suam sententiam his verbis proponit: *חרבות צורים כתרנומו אזמלון חריפין* וכן אף תשיב צור חרבו כשהחריפורת נהפך לצודן ואינו חותך יפה וכן כל כלי יוצר עליו: h. e. *Culti petrarum sunt secundum Targumitam novacule acute.* Quo sensu occurrit Psalm. LXXXIX. vers. 44. *Reduces צור aciem gladii ejus; quando enim aciem vertimus in latera, non secat bene, atque sic res comparata est cum omni instrumento facto contra te.* *Esai. 54, 17.* Hujus in eandem adductus sententiam amplectitur *R. Levi Ben Gerson,* qui ex *are* confici posse opinatur, verba ejus sic se habent: *חרבות צורים*

צורים הרצון בו חרבות החרים הם הנעשים מהנחשת  
 אציון *h. e. Gladii petrarum significant gladios acutos, qui ex  
 are conficiuntur* אציון (ubi error typographycus annotandus  
 in Bibliis Buxtorffianis, in quibus loco excusum est: vox dicitur  
 acciajo, *Stahl, in lingua peregrina.* Eandem sententiam tenere  
 videtur *R. Aben Esra*, qui vocem צור rem duram & acutam de-  
 notare existimat, quare sic commentatur ad Loc. Exod. IV.  
 com. XXIV. צור דבר חר חרבות צורים שהם  
 : צור דבר חר חרבות וכו' *h. e. צור est res dura,*  
*quemadmodum Jof. V, 2. legitur, cultri petrae, qui sunt acuti. Eo-*  
*dem sensu legitur Psalm. 89, 44. etiam redire facies צור aciem gladii*  
*ejus. R: David, Kimchi glossator alias haud spernendus, suam*  
*sententiam ad h. l. ita expressit: חרבות צורים כתרנומו*  
 : חרבות צורים חרבות חרבות וכן אף תשיב צור חרבו:  
 q. d. *cultri petrarum sunt secundum Targum novacula acuta. Quo*  
*sensu occurrit Psalm. LXXXIX. v. 44. Videamus demum R. A-*  
*barbenel in comment. ad h. l. fol. II. col. 4. : וחרבות צורים*  
 : חרבות צורים חרבות חרבות *i. e. Cultri illi lapidei sunt cul-*  
*tri valde acuti.* Omnes itaque gnaros alias Rabinos inductos  
 Paraphrastica Jonathanis versione, in eadem cum illa opinione  
 versantes, clare vidimus. Christiani, qui modo LXX. Se-  
 nes, vel consentientem Vulgatum, modo ipsum Hebræum  
 codicem inspexerunt, in varias itidem abeunt sententias.  
 Theodoretus quæst: IV. in *Jelum Nave* p. 199. hos cultros  
 appellat *μαχαίρας πετρίνας: cultros lapideos, quos nostram circumci-*  
*ssionem representasse existimat, quia Christus petra est, 1 Cor. X, 4. &*  
*gladius Hebr. IV, 12. cujus salutaris doctrina spiritualem circumcissionem*  
*affert.* Prætermitto *Augustinum, Originem, Rupertum*, aliosque,  
 qui voces eodem sensu acceperunt. *Lyra & Münsterus He-*  
*bræos, uti alias frequenter, & in nostro loco sequuntur, cultros-*  
*que acutos exponunt, additque Münsterus hanc rationem,*  
 quod cultri petris actantur, adeoque efficiens pro effectu po-  
 natur.

natur. Vatablus *cultros acierum*, h. e. præditos acie durissima interpretatur, nec aliter Emanuel Sa. Cornel. vero a Lapide, Mariana, ut & Mafius ad h. l. *petrinos vel saxeos cultros* vertunt, Versione Vulgata innixi,

§. III.

Originem voculæ חרבות indagaturi, depræhendimus ipsius radicem חרב, quæ inter alias significationes DE SOLARI denotat, h. e. omnibus ornamentis, urbibus, domibus, hominibus, pecudibus, frugibus, arboribusque privare, quemadmodum usu venit Esa. 34, 10. Amos. 7, 9. Esa. 60, 12. Ezech. 26, 2. Interpretibus Græcis ἐρημόειν 4. Reg. 19, 17. Neh. 2, 3. Job. 14, 11. Ἐρημόειν Esa. 50, 2. Hagg. 1, 4. Ex qua significatione deducitur חרב instrumentum quoddam vastationis, & in specie GLADIUS, Gen. 3, 24. Exod. 5, 25. Num. 22, 23. Jos. 5, 13. &c. LANCEA Job. 41, 26. cap. 5, 20. c. 15, 22. c. 39, 22. & denique ἐγχαυλίδιον, CULTE R, ceu patet ex Exod. 20, 25. Ezech. 21, 3. 4. 5. Quam significationem textui nostro maxime consentaneam, hac vice nostram facimus, חרבות interpretantes CULTELOS, quibus mediantibus aliquid scindi potest. Siquidem R. D. Kimchi Libr. Rad. col. 169. annotat. כל דבר הכורת יקרא חרב או כרזל או אבן החרוחה: חרב, sive sit ferrum, sive lapis acutus. Quemadmodum etiam de stiva aratri vox חרב in lingua Chaldaica & Syriaca usurpatur, quod doctè admodum deduxit Bochartus in Hieroz. P. I. L. 2. c. 39. p. 381. Ergo videmus per חרבות instrumenta, & in specie CUL TROS intelligendos esse, quibus scindi & secari possit.

§. IV.

Pedem Promovemus ad alteram, scilicet צורית *petra*, & natalem hujus vocis eruentes, invenimus צור, quod est, CONCLUDERE, COLLIGARE, COMPRIMERE, COARCTARE &c. Forster in Lexic. LXX. exprimunt per συλλαιέειν *archari*, Prov. IV., 12. Jer. XXI, 4. Ezech. IV, 3. mox per

περικαθίζειν *obsidere*, Deut. XX, 12. & 19. &c. frequenter *meta-*  
*phorice per* θλίβειν *affligere*, Deuter. 28, 52. &c. Sic nostrum  
צור *petra, saxum* ex compressione & duritie appellationem fortit-  
ur, & *proprie* rem compressam & duram denotat. Hinc LXX.  
ψήφος *petra*, Exod. IV; 25. πέτρα, Deut. VIII, 15. Jud. VI, 21.  
Metaph. est res firma & dura, qua inniti possumus, hinc LXX.  
θεός, Deut. XXXII, 4. 15. 18. &c. Psalm. XVIII, 31. θεοῦ adju-  
tor, Pl. XVIII, 2. Si has voces צורית חרבות conjungamus,  
facile apparet metaphoricum sensum h. l. non obtinere, sed eas-  
dem proprie significare *cultros petrarum*, vel *cultros saxeos* quod a-  
lix phrasas, nostræ similes etiam evidenter luadent. V. gr.  
Gen. III, 21. de vestibis, Protoplastorum scribit Moyses: *Et*  
*fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus* כותנת עור *tunicas pellis*  
i. e. ex materia pellicularum fecit vestes pelliceas. Sic iterum  
cap. 6, 14. Genes. Deum Noë de paranda arca jubentem, audi-  
mus: *Fac tibi* עצי גבר תבת *arcam lignorum Gopher*, quod  
materiam lignorum Gopher clarius indicat, Conferatur in-  
super B. noster Glassius Libr. 3. Tract. I. Canon. 30, p. m. 633.  
Eundem sensum ejusmodi phrasibus tribuunt Talmudistæ, *Tal-*  
*mund. Hierosol. Rosch Hufchana* cap. 3. fol. 59. col. a. ubi legitur:  
כארבעה מקומות נאמר עשה לך בני פירש ואחר לא פירש  
עשה לך תיבת עצי גופר עשה לך שתי הצוצורות כסף עשה  
לך חרבות צורית עשה לך שרף לא פירש;  
*in quatuor locis dicitur: FAC TIBI: in tribus locis additur, quid facere de-*  
*beat, in quarto non dicitur: Fac tibi arcam ligni Gopher. Fac tibi tubas argen-*  
*ti. Fac tibi cultros petra. Fac tibi serpentem, Num. 21. 8. 9. ubi non additur,*  
*ex qua materia fieri debeat &c. Quare sicuti in aliis supra dictis id fu-*  
*it materia, ex qua res conficiebatur, v. gr. Arca fiebat ex ligno*  
*Gopher, ubi lignum Gopher constituebat materiam parandæ*  
*arcæ: Tubæ conficiebantur ex argento, argentum fuit*  
*materia conficiendarum tubarum; cur quæso, cultros*



nostros non jure dicamus ex durissima petra confectos?

## S. V.

Ulterius, morem hunc lapideis cultris circumcidendi, etiam apud Gentes fuisse extraneas, res exemplis atque argumentis fiet clarior. Latini lapidem eo modo præparatum vocarunt TESTAM, h. e. ad modum testæ sive *ὄστρακος* tenuatum, & ex una vel utraque parte acutum. Et cum ex Insula Samo ejusmodi lapides adferrentur, quibus scindere facile poterant, inde SAMIA TESTA omnis lapis audit, qui scindendi, scandique officio bene fungebatur. Sic ejusmodi TESTA Aty's genitalia sibi defecuit, teste Arnobio adversus Gentes Libr. V. p. 94. *Rapit Aty's testulam* (in edit. Lugd. p. 159. legitur fistulam sed forte per errorem typographi, melius enim nostra editio testulam;) *quam instigator ipse gestitabat insania, furiarum & ipse jam plenus, perbachatus, jactatus, projecit se tandem, & sub pini arbore genitalia sibi defecat &c.* Ovidius hanc testulam saxum acutum vocavit, uti observat Elmenhorstius ad h. l. p. 100. Ovid. L. IV. v. 237.

*Ille etiam saxo corpus laniavit acuto:*

*Longaque in immundo pulvere tracta coma est.*

*Vox fuit: merui: meritas do sanguine poenas:*

*Ab pereant partes, qua nocuere mihi.*

*Ab pereant, dicebat adhuc onus inguinis aufert,*

*Nullaque sunt subito signa relicta viri.*

Gallis pariter electionem per testam usu venisse, refert Plinius Natur. Hist. Libr. XXXV. cap. XII, his verbis: *SAMIA TESTA Marris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur virilitatem amputant:* Et Catullus Carm. 64. quod est de Berezyntia & Aty v. 5. *Devolvit ille acuto sibi pondera filice.* Ita legunt Editiones Scaligeri & Mureti, quod quidem melius est, quam quod extat in Wecheliana. *Divellit lactes acuto sibi pondere filicis.* Extat præterea locus Lucilii Libr. VII. Sat. quem citavit Nonius CAP. IV. n. 434. qui forte etiam de Aty agit, quod tamen pro

pro certo affirmare non audemus. Verba ejus cum aliquam medelam requirant, a nobis obiter quæque emendabuntur. Ea sic se habent in Editione Gothofredi & in corpore Poetarum: *Hanc ubi vult male habere, ulcisci procella ejus testam sumit homo Samiam. Ibi an uno telo, inquit, præcessit caulem testis, que una amputat ambo.* Mercerus aliquanto melius: *Hanc ubi vult male habere ulcisci pro scelere ejus: Testam sumit homo Samiam, ibi an uno telo inquit Præcidit caulem, testisque una amputat ambo.*

Nos versus postremos sequentem in modum emendamus: *Testam sumit homo Samiam, sibi que illico telo Præcidit caudam, testisque una amputat ambo.*

Prior variatio delumta est ex variantibus lectionibus Gothofredi ad Nonium, quam etiam placuisse videmus *Douglæo Analect. Sacr. V. T. Excursu 34.* Cauda vero est id, quo viri sumus, quod vel ex Lexicis patet. *Testis* est Acculativus antiquus, uti notum ex Grammaticis, pro *testes*. Sic etiam Herodot. Libr. II. cap. 86. mentionem facit *Lapidis Æthiopicæ, quo Ægyptii in condiendo cadavere utuntur, quo nempe circa illa conscindunt, atque sic omnem alvum protrahunt.* Et hæc hæctenus de instrumento, quo exsectio penes Gentes peracta fuit, quod nisi fallor, satis superque probatum dedimus ex antiquitate profana, *cultros olim fuisse saxeos.*

### S. VI.

Si à prophanis ad sacros & antiquiores Judæorum scriptores redeamus, nullum dubium relinquitur, cultros saxeos olim in circumcissione esse adhibitos. Legimus enim Exod. IV, 25. *Zipporam accepta petra filium suum circumcidisse, quam LXX ψήφον calculum, Chaldæus פֶּטְרָא petram, Vulgatus acutissimam petram* appellat. In nostro Josuæ loco aperte fatentur LXX Senes, quod Josua ex lapidibus cultros præparaverit. Codex enim Alexandr. Grabii nostra Hebraica ita reddit: *ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκροτάμης, fac tibi cultros ex petra acuta.* Licet enim Rom. Codex hæc verba no-

bis exhibeat: ποιήσον σεαυτῷ μαχαίρας πέτρινας ἐκ πέτρας ἀκροτόμῃς, *fac tibi cultros saxeos ex petra acuta*, nulli tamen dubitamus, quin *πέτρινας* sit glossēma textui à librario ignaro insertum. Sic enim Augustinus quæst. 6. *Fac tibi cultros de petra acutos*, vel sicut habet Græcus, *de petra acuta*. In Complutensi abest *ἐκ πέτρας ἀκροτόμῃς* & retinetur tantum *μαχαίρας πέτρινας*, quam lectionem & vulgata approbat: *Fac tibi cultros lapideos*. Quamcūque vero lectionem sequaris, perinde est, utraque cultros ex lapide præparatos fuisse, docet. Nec aliud instrumentum à Josua esse adhibitum, agnoverunt antiquiores Rabbini, qui in Breschith R, Sect. 31. fol. 32. col. 4. Josuæ locum adducunt & vocem צורים de cultris saxeis exponunt. עשה

גלבין וטינורי לך חוברת נתפרש גלבין וטינורי h. e. *Fac tibi cultros petrarum, explicatur, quod illi fuerint novacula ex petris duris confecta*. Ubi in Mattanoth Kehuna additur: גלבין וטינורי כן התרגום של חוברת צורים ופרש גלבין אומר לך חוברת צורים וטינורי i. e. *novacula petrarum significant cultros petrarum* & Rasche exponit גלבין *novaculas per* גלבין *novaculam*, & sic etiam תער *novaculam appellat* גלבין *novaculas* &c. Ab his non recedit Sohar Sect. Lech lecha adductus in Jalkut Reubeni fol. 79. col. 4. ער רחזאת צפורה

ונזרת לברה ושייב ותקח וצפורה צור מא צור אסותא i. e. *Cum videret Zippora (quod serpens igneus deglutire vellet Mosen) circumcidit filium suum, & eripuit eum, & capiebat Zippora petram, quid est petra? auxilium, salus*. Confiteatur itaque autor hujus Libri, Zipporam apprehendisse *saxum acutum*, quia Hebræis saxum vel petra per metaph. simul, auxilium, vel firmum fundamentum, quo innitimur, significat. Maimon quoque concedit petras in circumfissione posse adhiberi, audiamus eum,

ובכל מלין ואפילו בצור ובזכונות ובכל דברי שכחת וזא ימל בקרומית של קנה

: מפני הסכנה קנה *i. e.* Omnibus rebus circumcidere possumus, etiam petra, & vitro, imo omni re, qua secat. Sed non circumcidere possumus frustulo cannae vel calami ob periculum. Idem fatetur in More Nebochim P. I. Cap. XVI. fol. Edit. Sabionet, 14. col. b. צור שם משתתף הוא שם החר והכית בצור והוא שם אבן קשר חרבות צורים והוא שם המקור אשר יחצבו ממנו צור *i. e.* צור *i. e.* est nomen equivocum, denotat montem, & percussus צור montem, Exod. XXII, 6. Deinde donotat lapidem durum. Fac tibi cultros צורים ex lapidibus duris, Jos. V, 2. Tandem significat quoque fundamentum, ex quo lapides fundamentorum excinduntur. Respicite ad fundamentum, ex quo excisi estis, Jes. LI, 1. Olim circumcisionem peractam fuisse petris acutis, confitentur quoque Judæi in fabula, quam in Zena ureena fol. 50. col. 3. persuadere solent mulierculis. Der Midrasch giebt: Man hat das Kind beschnitten mit einem Schiefer-Stein, aber da David המלך (der König) ist gekommen zu erschlagen den Philister, da hat David המלך gehabt einem Stein in seiner Hand in ein Schleider zu wollen erschlagen den Philister. Da hatte der Philister einen eisernen Hut auf seinem Kopffe, darein der Stein nicht gehen kunte, da kam der מלאך (Engel) der da gesetzt ist über die Steine, und hat gesagt zu dem מלאך der gesetzt ist über Eisen, laß gehen den Stein durch dein Eisen כלאמר (das ist) laß sich spalten dein Eisen auf des Philisters Kopffe, daß der Stein soll gehen in dem Kopff des Philisters. Da will ich machen beschneiden mit dem Eisen die Kinder, und will מוכר (vergönnend) seyn, daß man pflegt zu beschneiden mit einem Stein. Von damahls an that man beschneiden mit dem Messer, der weil sich das Eisen hat aufgethan bey dem Philister.

## §. VII.

Haftenus ex vocum propria significatione, earumque

constructione, nec non antiquarum gentium moribus cognovimus, *cultros lapideos* olim frequenti in usu fuisse, superest, ut ad Objectiones respondeamus, quas alii nobis faciunt. Ple-rique ad Chaldæum provocant, qui & rituum Judæorum, simul ac Hebraicæ linguæ optime gnarus, *cultros petrarum* intellexit de cultris *acutis*: אֲזַמְלֵן חַרְבֵּיךָ. Sed ut verum, fateamur voces Chaldæas tam de cultris saxeis quam chalybeis capi posse existimamus, utrique enim ut acuti sint, necesse est, si in circumcissione adhibendi. Deinde provocant ad Psalm. LXXXIX, 44. אֵף תִּשׁוּב צֶרֶךְ חַרְבוֹ. *Etiā avertisti petram gladii ejus.* Ubi per petram *mucronem* vel *aciem* intelligendam esse contendunt. Sed non opus est, ut h. l. novam & in toto codice sacro incognitam significationem admittamus, maxime cum alia usitata & frequentissima locum inveniat. Quis non videat, quod צֶרֶךְ h. l. metaph. denotet, *spem firmam & fundamentum*, quo innitimur, ut sensus sit: *Reduxisti fundamentum gladii, quo hostis innixus est*, vel uti Vulgatus: *Avertisti adjutorium gladii ejus.* Qui secutus est LXX: ἀπέστρεψας τὴν βῶνδαίαν τῆς πομφακίας αὐτοῦ. Nec Chaldæus h. l. aciem vertit: *Siquidem reduxisti retrorsum* חַרְבֵּיךָ *gladium ejus.* Contextus nobis quoque favet: *Reduxisti fundamentum gladii ejus, & non stare fecisti eum in pralio.* Optime noster B. Lutherus: *Auch hast du die Krafft seines Schwerdts weggenommen, und lässest ihn nicht siegen im Streit.* Consentiant Syrus & Arabs, aliique nostræ interpretationi adhærentes. Opponi etiam potest 2. Sam. II. comm. 16. ubi locus, quo duodecim fortissimi & selecti milites Davidis & Isoleti occisi referuntur, appellatur חַרְבֵּי הַצֵּרִיךְ *ager petrarum* h. e. uti illi videntur, *ager acierum.* Sed præferenda nobis videtur significatio supra adducta, qua צֶרֶךְ fundamentum, quo innitimur, & in quod spem nostram collocamus, denotat. Sic facile intelligimus illos duodecim ex utroque exercitu selectos milites, fortissimos fuisse, in quos omnem spem belligerantes collocabant. Quid itaque prohibet, quo minus veritas: & appellatus est locus, in quo illi milites sele-

selecti pugnarunt, ager fundamentorum & fortissimorum heroum, in quos belligerantes spem suam collocaverant. Annuunt LXX, qui vertunt: *μεις τῶν ἐπιθάλων*, portio irruentium, uti Flamin. Nobil. ad h. l. vertit. Consentit Vulgatus, qui *agrum robustorum* interpretatur: Chaldæo **צרי** h. l. sunt compressi, qui in acie succubuerunt, inde hæreditatem **קטילי** *occisorum* reddit, quam significationem analogia Grammatica non respuit. Quemcunque vero Interpretum sequaris, neuter de acie vel mucrone cogitavit, ut nesciamus, cur Raschius conceptæ significationi inhærens ad h. l. scribat: **חלקת הצריים אחסנת קטיליא על שם החרבות כמה דאר**: **אמר** *Possessio petrarum*, significat Chald. *agrum occisorum*, respectu habito ad gladios, eodem sensu, quo dicitur Ps. LXXXIX, 44, etiam reducere soles aciem gladii ejus. Alii metonym. causæ pro effectu supponunt, ut cultri petrarum, sint *CULTRI lapide ACUTI*, ein Messer, das am Wehstein scharff gemacht wird. Confer Ramires, de Prado Pentecontarch. cap. IV. p. m. 27. seqq. Quæ interpretatio equidem acuta est, nodum autem magis secat, quam solvit. Opponimus enim reliquas phrasas §. IV. allegatas, v. gr. *Fac tibi tubas argenti*. *Fac tibi arcam ligni Gopher*, in quibus adjectæ voces semper materiam indicant. Nulla itaque ratio nos urget, ut a simplicitate vocum & constructionis recedamus.

## §. VIII.

Existimamus itaque, cultros in circumcissione Israelitarum saxeos a Josua fuisse adhibitos, quos vocum proprietates, earumque constructio, antiquitas profana & sacra, antiquæ LXX & Vulgati Versiones aliaque Rabbiorum antiquorum testimonia persuadent. DEUS itaque præcepit Josuæ, ut sibi cultros ex duris silicibus præpararet & acueret, quibus Israelitæ circumciderentur. Licet enim nostris temporibus Judæi, ut plurimum chalybeis cultris utantur, & Justinus Martyr apud suum Tryphonem idem testetur, facile tamen tanto temporis in-

tervallo, alios & quidem ferreos cultros in saxeorum locum substitutos esse, persuasi sumus. Nolumus tamen cum Theodoro affirmare ideo fuisse cultros petrinus a DEO præceptos, ut ad Christum petram, quo nos spiritualiter circumcidimur, respiceret. Pia meditatio hæc est & applicatio, quam non reprehendimus, sed de qua noster textus nihil monuit.

## §. IX.

Pauca quoque de hujus circumcisionis actu dicenda sunt, qui non omnibus Interpretibus, eodem sensu explicatur. Verba DEI sunt: שׁוּב מִלְּאֵל אֶת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל שְׁנִיִּיתָ h. e. *iterum circumcide filios Israel denuo*, LXX primam vocem שׁוּב *revertere*, legisse per incuriam וְשׁוּב *sedē* palam est. Ita enim vertunt: Καὶ καθίσας, περίτεμνε τὰς ὕψους Ἰσραὴλ ἐν δευτέρῃς & *sedens circumcide filios Israel secundo*. Sed nostram versionem approbat Chaldæus vertens: וְתוֹב גַּזַּר יְרַת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל & *revertere, circumcide filios Israel denuo*. Ubi ותוב accurate respondet Hebræo וְשׁוּב & *revertere*. Idiotismus Hebrææ linguæ requirit, ut vocem וְשׁוּב & *iterum*, nec non שְׁנִיִּיתָ *denuo*, Pleonasmum in Latina & Germanica lingua gignant, qui tamen Hebræorum auribus gratus est. Sic enim 1. Reg. XIX, 7. dicitur de Angelo ad Eliam redeunte: וַיֵּשֶׁב מֵאַחַד יְהוָה שְׁנִיִּיתָ וַיִּגַע בּוֹ וַיֹּאמֶר קוּם אֲכַל וְגוֹ' *Et reversus est Angelus Domini denuo, & tetigit eum, & dixit: surge & comede*. Ubi וְשׁוּב & שְׁנִיִּיתָ pariter conjunguntur, nullumque alium sensum pariunt, quam Angelum Domini denuo apparuisse Eliæ. Sic nostro in loco שׁוּב מִלְּאֵל *revertere circumcide denuo*, nihil aliud denotat, quam *denuo circumcide*. Quo vero sensum accuratius teneamus, observamus, in omni iteratione respectum ad duas res haberi, ad priorem, quæ antea facta, ad posteriorem, quæ iteratur. Quæritur i-

taque,

taque, quo sensu circumcisio Josuæ secunda vel iterata dicitur? Nobis videtur, quod respiciatur ad circumcisionem in Ægypto factam, non quidem fingimus *solemnem* de qua Scriptura S. tacet, sed tantum intelligimus successivam, qua Israelitæ DEI instituto & Jacobi mandato circumcisi sunt pueruli in Ægypto. Sequenti enim commate 4. Josua Lectori in memoriam revocat circumcisionem in Ægypto factam, his verbis: *Hæc verò est causa, ob quam Josua Israelitas circumcidit, omnis populus ex Ægypto egrediens, nempe masculi quicumque ad bellum idonei, mortui erant in deserto in itinere, quo egressi sunt ex Ægypto: Omnis populus exiens circumcisus fuit; omnis vero populus natus in deserto in itinere, quo exirent ex Ægypto, non circumcisus est &c.* Siquidem ipse textus circumcisionem a Josua renovatam, opponit circumcisioni in Ægypto factæ, nulli dubitamus, illam Josuæ renovatam & iteratam circumcisionem dici, respectu scilicet prioris in Ægypto peractæ. Considerantur Israelitæ omnes tam qui exiverunt ex Ægypto, quam qui cum Josua ingressi sunt in terram Canaan tanquam unum corpus, de quo primum dicitur, quod in Ægypto circumcisus fuerit; quia vero plurima hujus maximi corporis membra, mortua in deserto, & in eorum locum alia nova substituta erant, secundo dicitur de eodem, quod a Josua denuo circumcidendum.

## §. X.

Non ergo opus fuisset, ut Talmudistæ aliud refugium quaesivissent, & hanc iteratam circumcisionem tantum de פריעה *scissione cuticulae* intellexissent. Audiamus eos Tract.

Jebhamoth cap. Haaral fol. 71. col. a. אמר רב בר יצחק

אמר רב לא ניתנה פריעה מילה לאברהם אבינו

שנא' בעת הוצא אמר יהוה אל יהושע עשה לך

חובות צרים ודלמה חנך ודלמה מזור כלל

דטוב כי מולים היו כר העם הוצאים וכר העם

היהודים במדבר ברוך כצאתם ממצרים לך מל

אם



אם כן מאי שוב ומאי שנית אלה לאו לפיעורו וכו'  
 i. e. *Dixit Rabba filius Isaac, dixit Rab, non præcepta est scissio cutis  
 in circumcissione Abrahamo Patri nostro, quia dicitur Jos. V, 2. Illo  
 tempore dixit Dominus ad Josuam: fac tibi cultros petrarum &c. For-  
 tasse illi intelligentur, qui plane non circumcisi sunt, quia dicitur: Cir-  
 cumciscus erat omnis populus, exiens, natus vero in deserto in itinere exi-  
 tus Ægypti non circumciscus est. Si ita esset, quid sibi vult שוב &  
 שנית iterum, nonne existimas respici ad פיעורו scissionem  
 cuticulæ? Sic ergo illi existimant, Abrahamo præceptam esse  
 circumcissionem, non vero cuticulæ scissionem, quæ demum  
 temporibus Josuæ a DEO mandata sit. Sed nugæ sunt. A-  
 brahamo DEUS primum circumcissionem injunxit, quis cre-  
 deret, eum non docuisse, qua ratione recte & plene perage-  
 retur. Et si DEUS voluisset, ut Josua circumcisorum cuti-  
 culas tantum scinderet, ipsi non dicendum fuisset כרע cir-  
 cumcide, sed potius פרע scinde pelliculam. Porro cur in seq. vers.  
 4. adderetur ratio, ob quam circumcisio a Josua denuo intro-  
 ducenda sit, si Israelitæ non perfecte circumcidendi, sed tan-  
 tum eorum scindendæ cuticulæ fuissent. Expresse textus dicit,  
 hanc ob causam Josuam populum circumcidisse, quod omnes in  
 Ægypto circumcisi in deserto essent mortui, & reliqui in de-  
 fertu nati hæctenus non circumcisi fuerint. Ex quo patere  
 existimamus, hanc circumcissionem denuo restitutam, perfe-  
 ctam fuisse circumcissionem. Denique Judæi nondum satis  
 probarunt, quod tres circumcissionis partes sint, Scriptura  
 certe de scissione cuticulæ, nec non de exsuctione sanguinis  
 nil quicquam meminit. Raimundus Martin. Pug. Fidei P. III. Dis-  
 fert. III. cap. XI. §. 18. ob sanguinis exsuctionem eosdem mul-  
 tum vituperat, eamque divinitus institutam esse negat. Nobis  
 idem de cuticulæ scissione videtur, quam Rabbinii introduce-  
 rant posteriori tempore, ne cutis, quod metuunt, attrahi possit.*

§. XI.

Raschius, qui Talmudistarum traditiones ut plurimum  
 sequitur, eos quidem in explicatione vocis שנית deferuit,  
 sed

fed aliam adjecit, sola Rabbinorum traditione nixam: מלו כבר  
 בלילה יציאתם ממצרים קהר גדור יחד זה פעם  
 שנייה שבר ארבעים שנה שדור במדבר לא נשבה  
 להם רוח צפונית ולא היה להם יום נוח למור  
 וגו' כמו ששמנו ביבמת וגו' i. e. *In nocte, qua egressi sunt  
 Israelita ex Aegypto, magnus coetus circumcisus est, hæc vero fuit se-  
 cunda circumcisio, quia totis quadraginta annis, quos Israelita habitaverunt  
 in deserto, ipsis ventus septentrionalis non flavit, neque ipsis tam quietus di-  
 es fuit, quo circumcidere potuissent puerulos. Uti docetur in Jebha-  
 moth. Sed multa sunt, quæ in hac explicatione non toleran-  
 da. Supponit Raschius primo, in nocte, qua ex Aegypto e-  
 gressi sunt Israelitæ, omnes fuisse circumcisos: de quo  
 in Scriptura S. magnum est silentium. Nec facile quis de eo  
 persuadebitur, qui novit, quas molestias & dolores circum-  
 cisio afferre solet. Inepti fuissent Israelitæ ad egressum, si præ-  
 cedenti vel eadem nocte circumcisi. Deinde hanc circumcisi-  
 onem cum Talmudistis fingit solemnem, qualem si unquam  
 facta, scriptura non reticisset. Denique rationem, cur cir-  
 cumcisio non facta sit in deserto, affert ineptam, asserens  
 ventum septentrionalem, qui ex Judæorum opinione vulneri-  
 bus salutaris est, non flavisse, ne sc. columna ignis dissiparetur.  
 Quot quæso ineptiæ! Verum enim vero licet omnia hæc figmen-  
 ta rejiciamus, in eo tamen cum Raschio convenimus, quod Jo-  
 suæ circumcisio secunda vel iterata, vel denuo introducta di-  
 catur, respectu prioris in Aegypto factæ, quam quidem non  
 solemnem, sed tantum successivam statuimus.*

## §. XII.

Cum Raschii explicatio, nec Kimchio arrideret, ali-  
 am subtilem quidem, sed textus simplicitati parum conveni-  
 entem excogitavit: טוב מר את בני ישראל שנית  
 חזור פעם אחר פעם במחנה למור ולצותם למור  
 ובאמרו ושוב מר אינו אומר פעם ושתים לכו

אֵילֵי כְמוֹהַ פְּעָמִים עַד שִׁגְמַר הַדְּבָר וְכֵן וּשְׁבַתֵי  
 בְּבֵרַת יְיָ שֶׁאֲחֻזֵּר שֵׁם תְּמִיד כִּי יִמִּי חַיִּי וְכֵן  
 בְּאֲמֹרֵי שְׁנֵי אֵינִי דוֹקָא פְּעַם וּשְׁתַּיִם לְכֹר אֵילֵי  
 פְּעַם אַחַר פְּעַם עַד שִׁגְמַר הַדְּבָר וְכֵן כְּסִירֵי שִׁגְמוּ  
 בְּאֲדָתָם אֵינִי פְּעַם וּשְׁתַּיִם לְכֹר אֵילֵי פְּעַם אַחַר  
 פְּעַם כְּמוֹהַ פְּעָמִים וְכֵן זַעַם שׁוֹנִים אֶרֶץ הַתְּעַנֵּנִי  
 h. e. *herum circum-*  
*cide filios Israel secundo. h. e. Repete multis vicibus castra Israelitarum*  
*& circumcide atque præcipe, ut circumcidantur. Quando enim Scri-*  
*ptura S. dicit, repete & circumcide, sensus non est, ut una & secun-*  
*da vice tantum circumcidat, sed multis vicibus, donec circumcisio per-*  
*acta sit. Sic dicitur וּשְׁבַתֵי בְּבֵרַת יְיָ & reperitur in domum*  
*Domini, Pl. XXIIF, 6. h. e. reperam domum Domini perpetuo omnibus*  
*diebus vita mea. Sic etiam שְׁנֵי h. l. iterum, non præcipere primam*  
*& secundam vicem tantum denotat, sed multas repetitiones, donec cir-*  
*cumcisio absoluta sit. Eodem sensu legimus Prov. 26, II. Stultus*  
*שׁוֹנֵה repetit stultitiam suam, h. e. stultus non solum prima & secunda*  
*vice hoc facit, sed pluribus. Sic etiam dicitur Prov. XXIV, 21. Si*  
*reperant, ne immisceas te, repetunt enim pluribus vicibus militiam su-*  
*am, &c. Sensus Kimchi est, voculas שׁוֹב iterum, & שְׁנֵי*  
*secunda vice non respicere ad circumcisionem ante Israelitarum*  
*exitum factam, sed tantum ad repetitiones in tanta non cir-*  
*cumcisorum multitudine maxime necessarias. Sed hoc si vo-*  
*luisset DEUS, potius dixisset מֵר כִּי בְנֵי לְיִשְׂרָאֵל circum-*  
*cumcide omnes filios Israel, vel uti DEUS Abrahamo præcepit:*  
*לְכֹם אֵילֵי הַמֶּרְכָּה circumcidatur vobis omnis caro, Gen. XVII, 10. Ad*  
*loca, quæ pro sua sententia adduxit parallela, reponimus a-*  
*lia & propinquiora, in quibus ipsa vox שְׁנֵי occurrit. Non*  
*enim sufficit ostendisse שׁוֹב & שְׁנֵי significare repetitionem*  
*actus, qui pluribus vicibus iterari potest, sed probandum est,*  
*voculam שְׁנֵי plures iterationes denotare. Loca, quæ in*  
Codi-

Codice Hebræo prostant, talem sensum non admittunt, v. gr. Gen. xxii, 15. de Angelo de coelo secunda vice clamante dicitur: & vocavit Angelus Domini ad Abrahamam שְׁנִיתָּ iterum de coelo. Maxime si שְׁנִיתָּ cum שׁוּב construitur, bis tantum iteratas actiones indicat, i. Reg. xix, 7. וישב מלאך יי שְׁנִיתָּ & reversus est Angelus Domini secunda vice ad Eliam. Adde, si placet, Jes. xi, 11, aliaque plura. Nec ullus prostat locus, in quo שְׁנִיתָּ crebriorem, quam bis iteratum actum indicet.

## §. XII.

Novam quoque & a prioribus diversam explicationem debemus R. Levi Ben Gerson, qui omnes Israelitas tam antea in Aegypto circumcisos, quam nondum circumcisos, hoc præcepto divino ad circumcisionem obligatos fuisse existimat:

שׁוּב מִרָּא אֶת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל שְׁנִיתָּ / שׁוּב אֶל כָּל הָעָם  
וְזֶה שִׁכְּרָ נִמְלֹךְ-בְּצֵאת מִמִּצְרַיִם לְתַכְלִית שִׁינְחֹלְךָ אֶת  
הָאָרֶץ וְכַאֲשֶׁר הָיוּ עֹנֵתֵיהֶם וְנִגְזַר עֲלֵיהֶם הַמִּצְוָה וְאִיחֻד  
עַד אַרְבַּעִים שָׁנָה מִירוּשַׁת הָאָרֶץ הוֹצֵרְכֶם עֵתָה שְׁנִיתָּ לְכֶמוּ זֶה  
הַפְּעוּעַר וְאוֹלָם תִּזְאָרַת הַמִּצְוָה מִבֹּיַת בִּירוּשַׁת הָאָרֶץ  
הַזֶּה מִבֹּיַת מִמָּוֶה שֶׁנֶּאֱמַר בְּתוֹרָה בְּפִרְשַׁת לךְ לךְ  
כְּשֶׁנִּצְטַוְוָה אֲבִרָהֶם בְּזֵאת הַמִּצְוָה עִם שִׁכְּרָ הָיָה רָאוּי  
שִׁיקְיָמוּ יִשְׂרָאֵל דְּרַכֵּי הַתּוֹרָה בְּכֻלָּם לְפִי מִוֶּה שֶׁאִיפְשַׁר  
וְאִז יִתְכַן יוֹתֵר שִׁיעֶשֶׂה לָהֶם הַשִּׁי" זֵאת וְהַחֲנִינָה הַהִפְכָּה רַל

h. e. Denuo circumscide-  
filios Israel, i. e. revertere ad omnes Israelitas etiam ad eos, qui ex Aegypto egre-  
dientes circumcisi erant, eo fine, ut tunc occuparent terram promissam.  
Postquam autem multiplicaverant peccata sua, superque eos mors & re-  
tardatio quadraginta annorum, quominus terram occuparent, decreta  
erat. Ideo jam necessitas eos secunda vice cogit ad hoc opus. Et sane  
hoc præceptum aperit aditum ad terram promissam, quod notum est ex  
eo, quod in lege Sect. Lecha, Lecha, dicitur, cum Abrahamo hoc præce-

ptum injungeretur. Et licet jam antea Israelitis competeret, ut præcepta legis observarent, quantum possibile esset, nihilominus majori necessitate jam cogebantur, cum DEUS ipsis hanc benignitatem atque gratiam exhiberet, ut terram septem gentium occupare possent, quarum in Lege mentio facta est. Sed non existimamus, quod DEI mentem hic Rabbi assecutus sit. Omnes enim, etiam antea in Ægypto circumcisos denuo circumcidendos juberi a DEO, ex textu non docebitur. Expressis enim verbis dicitur v. 4. hanc ob causam Josuam circumcidisse populum, quia omnes vel plerique antea in Ægypto circumcisi, demortui erant in deserto. Illi ergo, qui in deserto nati, nec ob itineris molestias circumcisi, tantum denuo circumcidendi erant. Et quamvis Israelitæ foedus cum DEO irritum fecerint sæpius, nunquam tamen legimus eos post actam poenitentiam denuo esse circumcisos. Nec opus est, DEUS enim semper fidelis manet, & peccatores in foedus suum, quod transgressi sunt, recipit, si modo resipiscant.

## §. XIV.

Supereft Abarbanelis explicatio, quam paucis quoque attingemus. Existimat ille vocem שנית *secundo* respicere ad præceptum circumcisionis primum Abrahamo injunctum. Ejus verba ad h. l. sunt sequentia : וכוונתי שהאל לל צורה על עשיית המילה כי אם לאברהם פעם ראשונה וליהושע פעם שנית כי שאר הפעמים לל צורה ית שימולך העם שהיו בלתי נמולים עם היות שיזכר אותה מצורה בכלל ולזה יאמר כאן שבעת ההיג אמר יי שנית אל יהושע ונגל ושוב כל את בני ישראל יהיה שנית חזרו אל בעת ההיג אמר יהוה שאר אמרו שנית ואמר ושוב כל את בני ישראל רל שוב מהדרך אשר אתה בו ולל תרעסק עתה בכיבוש הארץ אבנל

אֲנִי תִשָּׁר לְמַלְאָכָא הֵאֱמַר h. e. *Sententia mea est,*  
*quod DEUS benedictus nullibi circumcissionem praeceperit, nisi Abra-*  
*hamo prima vice, & Jehosuae secunda vice. In reliquis locis non prae-*  
*cepit DEUS, ut circumcidantur nondum circumcisi, licet mentio hu-*  
*jus praecepti in genere faciendâ esset. Propterea dicitur h. l., quod ill-*  
*tempore DEUS dixerit secunda vice ad Josuam &c. In vocibz. vero,*  
*revertere & circumcide filios Israel secundo, vox secunda refertur ad ver-*  
*ba: illo tempore dixit DEUS, tunc enim secunda vice dixit: Reli-*  
*quorum vero verborum revertere circumcide filios Israel, sensus est: Re-*  
*vertere a negotio, in quo occupatus es, jam non occupes terram, sed re-*  
*vertaris ad circumcissionem filiorum Israel. Mens Rabbinum eo ten-*  
*dit, ut evincat, vocem שָׁנָא denno, respicere ad circum-*  
*cissionem primam Abrahamo mandatam. Sed supra ostendi-*  
*mus, in contextu nullum esse vestigium, quod lectorem ad*  
*Abrahami circumcissionem reducat, multa vero verba prosta-*  
*re, quae circumcissionem in Ægypto factam legenti suggerant,*  
*ad quam h. l. respici existimamus. Deinde separat voces*  
*שָׁנָא revertere, & שָׁנָא denno, quae, uti monitum &*  
*exemplis probatum conjunctim explicandæ sunt, easque cum*  
*aliis vocibus, quam linguæ genius patitur, construit, quam-*  
*vis hoc levioris momenti sit. Theodoretus olim eandem sen-*  
*tentiam tenuit Quæst. III. in Jesum Nave p. 198. Sententia, in-*  
*quit, ex superficie litera sumta, hoc innuit, quod, sicut DEUS ab*  
*initio dederat hanc legem Abraha, ita secundo præcipit Josua, ut cir-*  
*cumcideret eos, qui non erant circumcisi. Cujus vestigia premit*  
*Mariana in scholiis ad h. l. Hoc intellige, inquit, comparatione*  
*circumcisionis ab Abrahamo factæ; nam his tantum vicibus populari-*  
*ter sum circumcisi, aliis temporibus privatim circumcidebantur quis-*  
*que domi suæ. Sed non existimamus Josuam mente ad Abra-*  
*hami circumcissionem respexisse, contextus potius docet,*  
*eum tantum de circumcissione in Ægypto facta cogitasse.*  
*Mafius huic sententiæ etiam favere videtur, Memoratum est,*  
*inquit, in Genesios historia XVII. 23. Abrahamum, cum jussus es-*  
*set masculos omnes suæ familiæ, liberos, servos, vernas, emptitios cir-*

*circumcidere, e vestigio eodem illo die circumcidisse simul omnes. Erat autem cum universa peculiaris populi Dei, h. e. Ecclesia, ut vocamus summa, in una Abrahami familia posita. Semel igitur tunc universe populus Dei circumcisus ab Abrahamo, cum hoc insigne, tanquam pignus certissimum promissæ possessionis Chananæ, à Deo institueretur. Nunc vero secundo circumciditur populus Dei universe à Josua, cum promissæ illa, quorum circumcisionem pignus fuisse diximus, ad rem à Deo conferuntur, h. e. cum idem ille origine quidem populus, at ob extinctam nuper universam patrum multitudinem quodam modo novus, in possessionem Chananæ mittitur. Sed in sequentibus mentem suam prolixius exponit, ut parum vel nihil à nostra recedat sententia. Dicam, si potero explicatius, pergit, Deus olim per circumcisionis insigne peculiarem sibi cœtum, sive, ut appellamus, Ecclesiam constituerat; is cœtus, cum fuisset continua parentum & sobolis successione, eorundemque rituum & sacrorum observatione ad Moysen usque propagatus, nunc tandem, occisis semel omnibus, quorum in solennibus ratio habebatur, cœteris vero, qui totis 38. annis editi fuerant non circumcisus, illa consociationis atque conciliationis ratio quodam modo intercidisse videtur: Imperat igitur Josue DEUS, ut eam denno instauret. Et vero presentem populum, quasi cœtum novum videri, atque consociationis, communionisque illud vinculum Circumcisionem, tanquam intercidisse nunc, ex illis potest perspicue intelligi verbis, quæ superius commemorabam, præsertim si paulo altius repetantur; ex istis dico: Omnis populus egressus Ægyptum, masculi omnes viri bello apti, obierant in deserto. Verum liberos ipsorum substituerat in eorum locum: hos circumcidit Josua, cum essent præputiati &c. Nullum hic dissensum cognoscimus, nisi quod Masius circumcisionis primæ initium ducat ab Abrahami circumcisione, hancque ad exitum ex Ægypto protrahat. Nos vero nullum primæ, quam Josua intellexit circumcisionis initium certum ponimus, eorum tantum Israelitarum circumcisionem intelligentes, qui ex Ægypto cum Mose egressi sunt, ad quos Josua v. 4. 5. 6. digitum intendit. Sed hæc tanti non æstimamus, ut ea diutius persequamur. Sufficit Masium circum-*

*cisionem*

cisionem Israelitarum, ex Ægypto egressorum non exclusisse, licet ejus principium ad Abrahamum usque reducat. Atque hic pedem figimus, ac Dissertationi huic colophonem imponimus, TIBI ô SUMME, ô MISERICORS DEUS gratias persolventes, quas possumus in hac vita, maximas, pro insigni hactenus collata gratia, summoque favore. Dirige BONE DEUS, ah dirige impostero etiam omnia nostra dicta, omnes nostras meditationes, quo semper atque unice vergant in TUISANCTISSIMI NOMINIS gloriam, Ecclesiæ olim TUÆ emolumentum, nostram item salutem æternam per & propter Filium Tuum, nostrum Redemptorem Iesum! Te Trias Sacro-Sancta veneramur, TE supplices laudantes obtestamur, canimusque:

קדוש קדוש קדוש יחזה צבאות  
 מלך כל הרוץ כבודו:





# C O R

**D**E sensu verborum  
 דַּע לֹא הוּמָא עַם עַל  
 ex simili Judaeorum p  
 די col. b. & saepius occu  
 רַב בְּרַעוּתוֹ וַיִּמְלִיךְ  
 עֲרֵהוּ : זְבִי וְאָמַר אָמֵן :  
 sanctificetur nomen ejus  
 creavit ex beneplacito  
 suum &c. & dicite A

# OROLL.

*verborum Matth. VI, 9. ἀγαθά καὶ  
καὶ σὺ etiam iudicium ferri potest  
eorum precatione in Machsor fol.  
ius occurrente. יתגורר ויתקדש  
שמורה יבנה בעלמנו וברנה בו  
Magnificetur שם מלכותו ;  
men ejus magnum in mundo, quem  
replacito, שם continuet regnum  
dicite Amen.*